6

SERENISSIMO PRINCIPI NOVEM APROS CANDESPINIS NEMORIBVS VENANTI; QVI ET PILA ludentem exprobravit Iuvenem.



ROGAT me Pater gratanter Venatori Egregio adscribam: blandæ precis agnovi imperium latens; nulla mihi jubendi acrior species: pulsavit me probris, & convicijs: Decanum Sedis Augustæ iniuriæ testem adscivit, & infandæ vocisq; præconẽ adservit. In arenario circo, & Metropolitano stadio vbi lussores pilæ coeunt, atque hinc indè celeres pilulam volutant, & tui Aulici, nec dedignantur professores, sub Austriaco Trismegistro, Tyronulus ego puerilem manum admovi, & D. Francisco Azlorio sodali suppetias me iturum adiunxi: Tu verò Spectator Augustior non eandẽ crepundijs Grammaticæ dexteritatem Infantuli, ac lusus pilæ exprobrasse diceris. Obstupui prhò dolor! vox faucibus hæsit, & qui me Rethorem, Philosophum suadeo, ad cunas Patrum Societatis IESV iteratò mittor! iniuriam hanc laudibus propulsandam statuo, & contumeliam obsequijs pellendam esse stabilio: illustrior erit de probro victoria, si Principi iniurio respondeat dedititior tui servi cultus: Diebus hisce festivis, dum moles regnandi recrudescit, redeuntvè pulsantes, Theodorici Regis exẽplar nobiliori venatu superasti. Inter lancearum imbres, qui solem obtegerent iactus tuæ non latuit sylvis; sentiebant dexteram, cuius ominabantur virtutem; sed novem apros (cum cerbo) ingentes vna acie cæssos superior, & inferior Candespinæ deplorant, & de orbitate prolis Te accusant; arguentes, quod si nemora, si lucos segnius fatiges, eà strage cruentes, Catulos insontes proscribes, nuntiaturos Calidonijs, & Arcadibus maiorem Ioannis Austriaci feritatẽ, Principis Augusti sævitiem. Alcides, & Meleager aprum gloriantur trucidasse: Divus Parens tuus, & Rex noster inclytus inter triumphos Illerdæ quator apros fixisse cõtentus; Tu gregis occissor, nec de prolis internecione saginatus: Ignoscenda soboles cuius, origo nescendi non potuit esse noxalis. Concludo metris aciem, & astum.

DE VENATIONE AVSTRIACA.

TEmne Erymantheis, confossum montibus, aprum,
  Quamvis Alcidis sentiat ense necem.
Candespina, novem eructarunt Pascua, Verres,
  Queis profugus sylvis Arcados, isset, aper.
Errabant pulchram, sitientes Hercule, mortem,
  Aut Iovis irati dextera tela vibret.
Grex perit Austriacis iaculis, & Numen adorans
  Torquentis, didicit nobiliore mori.

DE

DE PRINCIPALI ASTV.

ILle, quem Pindi celebrant sorores,
Canus Antistes, qui Helyconis aris
Mollis, afflavit foculis sabæum.
Thuris, honorem.
Quem sophos jactat melior Palestra,
Improbè ad cunas retrahatur Aulæ,
Discere ac infans elementa, Patrum,
Grammaticamque!
En pilam disco iaculare parvam,
Curro veloci, volitoque planta:
Sphærulam ludens dubitat Tonátis
Sæpè sagittam.
Cerne Dynastas, Equites, Togatos,
Segniùs nostros globulos rotasse,
Indè non acrem subeunt Tumentis.
Principis iram.
Miles in campis cataphractus ære
Ludit alternis clypeis, pilisque,
Et maritatis pilulis, & hastis.
Spicula ludit.
Principes belli proceres, Ducesque
Ludus illustrat, comitesque reddit
Hæc pila adversis agitata ventis.
Robore missa.
Parce quod sacris, videar cothurnis
Æmulus, pravis caligisque, soccis,
Regis ad normam rapitur iuventus.
Te Duce ludens.
Vive de nostris redivive sæclis,
Vivat æternum tua fama fastis,
Demat è nostris tibi gratus augens.
Iuppiter annos.

Adservet Serenitatem tuam Deus Optimus Maximus Monarchiæ bono, & Exarchatus Aragoniæ saluti, Cæsaraugustæ pridiè Idus Ianuarij, Christianæ libertatis anno M.DC.LXX.

Sistit Aris Austriacis.

Dedititior Serenitatis tuæ Manceps:

D. Bernardus de Leyza, & Eraso.